



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod Maximiano episcopo Proclus succeßit. Cap. XXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

duos dies noctesq; totidem urbē occupauerat, tandem omnino restitutum fuit: à quo licet multæ partes ciuitatis absumptæ essent, ecclesia, quam dixi, illæsa permansit. Et quod magis mirandum videtur, nullum fumi vestigium, vel trabibus eius alijsq; partibus ex ligno fabricatis, vel parietibus impressum vsquam cernebatur. Hoc factum est 16. Cal. Septembris, ad xiiij. Consulatū Theodosij, & Maximi primum. Nouatiani ex eo tempore diem festum ecclesiæ ab incendio conseruatæ quotannis, xvi. Calend. Septembris, quo Deo pro eius liberatione gratias agerent, celebrarunt: omnesque fere illam propter miraculū, quod in ea editum fuit, in magno honore habuerunt, & illum locum nō Christiani solum, verū etiam gentiles, tanquam verè sanctum colunt. Sed hæc quidem hæctenus.

*Quod Maximiano episcopo Proclus successit.*

CAP. XXXIX.

**M**aximianus cum duos annos, & Menses quinque ecclesiæ quietē præfuisset, exiit è vita, Areobindo, & Aspare Cofs. Pridie Id. Aprilis. Tunc erat forte septimana ieiuniorū, quæ proximè festum Paschatis antegreditur, diesque eiusdem, qui vulgo dicitur Quintus. Quo quidem tempore ab Imperatore Theodosio res prudenter tractata fuit. Nam ne controuersia, & tumultus in ecclesia denuo cieretur, abiecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus insepultum iaceret, per episcopos, qui ibi aderant Proclum in sede episcopali collocandū curauit. Huic etiam negotio suffragabantur epistolæ Sclestini, episcopi Romani, quas ad Cyrillum episcopum Alexandriæ, & ad Ioannem episcopum Antiochiæ, & Rufum Thessalonicæ episcopum misit, quo eos doceret, nihil obstare, quo minus qui vnus ciuitatis vel nominatus fuisset Episcopus, vel iam esset Episcopus, ad alteram ciuitatem trāsferretur. Proclus igitur in sede episcopali locatus, corpus maximiani effert ad sepulchrum funusque celebrat.

*De Proclo Episcopo qualisnam fuerit. CAP. XL.*

**I**am verò tempus se offert pauca de Proclo cōmemorandi. Proclus ab ineunte adolescentia lector fuit. Scholas